



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

An qui iustificatus est hic quoq[ue] saluus sit. tit. 28

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

verbi Dei, blandiloquētes & assentatores, cauere di-
scamus. Insunt Christo duæ naturæ, humana & diui-
na: per illam nos redemit à peccato, per hanc autem
impertit nobis gratiam & potētiam, id est, fidem, sa-
cramenta, dona & fructus spiritus sancti, auxilium &
suppetias ad seruanda eius mandata, Roman. 8. quo
nos per hæc media apprehendere possimus, nobis ap-
plicare & retinere promeritā à Christo salutem, atq;
hoc pacto demùm veram hereditatem possidere. Sic
sunt tria beneficia Christi. Primum, quòd patitur
mortem pro nobis. Rom. 4. Secundum, quòd dat gra-
tiam & media apprehendendi, sicut vitis dat humo-
rem palmitibus, Ioan. 15. vt fructum faciāt. Tertium,
possessio regni, Matth. 25. Venite, &cæt. possidete &c.
Hæc igitur omnia prædicanda sunt vulgo.

*AN QUI IUSTIFICATVS EST
hic quoque saluus sit.*

TITVLVS XXVIII.



RIMò, sectæ, vt derogent pijs operi-
bus, ex duobus membris, nempè ex iu-
stificare & saluare, faciunt vnum & idē,
dicentes: Omnis qui est iustificatus, il-
le quoq; est saluatus: sed sola fides iu-
stificat absque operibus legis, Roman. 3. Ergo sola fi-
des saluat. & ad Rom. 8. inquit Paulus: Quos elegit,
hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: &
quos iustificauit, hos & glorificauit: ergò vna res, iu-
stificatio & saluatio: qui igitur iustificatus est, hic sal-
uus est: ob id salus per solam fidem acquiritur. Nam
cui remissa sunt peccata, quod est iustificare, quid re-
stat, nisi salus? Vt ergò fide gratis iustificatur, sic sola
fide saluatur. Secūdò, si hæc noua glossa scripturæ ef-
fet vera, nullus baptizatus posset dānari: quia omnis
qui

qui baptizatur, hic iustificatur, accipit remissionem in baptismo, Act. 2. Secundò, non esset opus post baptismum mortificatione carnis & peccati in carne. Id quoque ubique præcipit Paulus Rom. 6. Tertio, nec opus esset spiritus sancto, id est, eius virtutibus, Gal. 5. charitate, spe, timore, pace, &c. quia iam ante hæc sumus iustificati & saluati. Sed cum dicit Christus Mat. 7. Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, &cq. idè falsa est hæc doctrina, quòd omnis iustificatus iam sit saluus, aut quòd sit vna res.

Præterea hoc verum est, quòd nemo saluatur, nisi prius fuerit iustificatus: sed quòd propterea sit vna res, salus & iustificatio, falsum est: sicut & id quidem verum est, quòd omnis qui vult senex fieri, hic debeat primò iuuenis esse. Sed quòd propterea iuuentus & senium vna res sit, hoc erroneum est. Vnum sequitur alterum. sic in fructibus arborum agnoscimus, omne pomum, pirum, & fructus alios florem sequi: verum quòd idcirco flos & fructus vna res sit, falsum est. Licet ergò vnum alterum sequitur, non tamè sunt vna res: sic salus sequitur iustificationem, sed non est ipsa iustificatio vel remissio. Hæc distinguuntur.

Sed vt experientia docet, Non omnes pueri efficiuntur senes, quia complures moriuntur ante senium: sic non omnis flos arboris fit, vt fructum gignat, nam potest impedimentum fieri, vel per grandinæ frigus, aedinem, &cq. Sic non omnis iustificatus in baptismo, est statim saluus: potest enim fieri impedimentum. Nam si post baptismum peccat, & secundum carnem vixerit, morietur & damnabitur, 1. Corint. 6. Ephes. 5. Galat. 5. describuntur opera carnis, & quòd qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt. Non est ergò verum, quòd salus & iustificatio sit vna res.

Paulus scribens ad Philippenf. capit. 2. qui tamen iam erant fideles & iustificati, dicit: Charissimi mei, obedite

obedite Euangelio, & cum metu & tremore vestram salutem operamini: quasi dicat, Time Deum, & in tremore vitæ viuite, ne iterum amittatis apprehensam gratiã in baptismo, ne promissionẽ regni amittatis, Deus enim promittit iustificatis regnum, si in iustificatione permanferint, Sin aut, nõ possidebunt. Ergo iustificatio & salus non sunt vna res. Iubet igitur Apostolus, vt cum metu & tremore operemur, & Dei faciamus voluntatem. Quid profuit Lucifero, quia iustus & in cœlo erat, qui talis non permanfit? Quid Adæ, quod fuit in paradiso, Gene 3. iustus & ad imaginem Dei creatus? Quid Iudæ, quod fuit iustificatus, & Christi discipulus, cum talis non permanferit? Magnum igitur peccatum est, perdere gratiam semel acceptam, 2. Petr. 2. Ideo inquit Apostolus: Cum metu & tremore conseruate salutem vestram.

Tertio, hic est error Anabaptistarum, qui putant iustificationem & salutem vnã rem, sic, quod qui semel est iustificatus rebaptismo, hic iam sit beatus, nec possit illã perdere, etiam si peccauerit, opera carnis fecerit, Gal. 5. Nec posse talem damnari, nec peccare, sed in gratia esse cõfirmatum & saluum, sed hoc est falsum. Nam posse iterum amitti gratiam, apertè docet scriptura Galat. 5. Manifesta sunt opera carnis, Romano. octauo. Si secundum carnem vixeritis, &c. Christus docet orare omni die patrem pro remissione peccatorum. Et Paulus iam iustificatus, Rom. 7. clamat, Non habitat in carne mea bonum. Matth. 6. Dimitte nobis debita. & hoc orãrunt omnes sancti. Et septies in die cadit iustus & resurgit, Prouerb. 24. & 1. Petr. 4. & quidem cum iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi manebit? Falsum propterea est, quod vna res sit iustificatio & salus, vt vbi vnum sit, statim & reliquum esse oporteat in adultis: de adultis dico, quia alia res est de paruulis, qui statim post bapti-

baptismum discedunt: Illi non amittunt apprehensam gratiam, &cet. Et sic etiam Apostolus Roman. 8. intelligitur, scilicet, quos Deus elegit ab æterno in Christo, ad Ephes. 1. Et vocauit in tempore ad fidem Euangelij, si ita permanserint, & non iterum amiserint vocationem & fidem Euangelij, & obedientiam mandatorum: Illos inquam idem Deus, qui elegit, vocauit & iustificauit: nec eos magnificabit in gloria, id est, saluabit, nisi retinuerint apprehensam gratiam: si autem secundum carnem vixerint, morientur, Romanor. 8. Et Matth. 7. dicit Christus: Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, introibit in regnum, &c.

Nec vna & eadem res est iustitia & salus, remissio peccatorum & æterna vita, Passio Christi & spiritus sanctus. Iustitia præcedit in hac vita, & remissio peccatorum fit in presenti vita, atque salus & vita æterna in futura: sed vita dabitur, si manserimus in iustitia & fide Euangelij, &c. Passio Christi est precium & satisfactio pro peccatis, Roman. 4. Sed fructus spiritus sancti sunt dilectio, spes, timor, patientia, castitas, &c. Et illa non sunt passio Christi, sed media. Et idè donantur, vt apprehendamus & retineamus passionis meritum &cet. Et Christus non solum est redemptor, sed etiam distributor mediorum, quibus apprehendimus passionis suæ meritum, & retinemus, & possidemus. Idè nominat eum Paulus sapientiam & potentiam Dei, vel virtutem, 1. Corint. 1. Sapientiam crucis eius, licet mūdus reputat stultitiam, per illam vult saluare credentes, nominat autem Christum virtutem & potentiam Dei, quia ipse donat virtutem & potentiam, vt credamus & obediamus Euangelio, vt apprehendamus & retineamus.

Præterea Paulus 2. ad Timot. vlt. qui tum iam fuit iustificatus, dicit: Reposita est mihi corona iustitiæ, id est, nōdum illam habeo, sed est reposita, & dabitur mihi

mihī & omnibus, sed qui diligunt & credunt aduentum eius. Non ergo vna res est, iustificatio & salus. Et 1. Petr. 1. inquit Apostolus: Corona immarcescibilis conseruatur iam in cœlis: nondum illam habemus, sed reuelabitur in die nouissimo, &c.

*GRATIA ET MERITVM NON
se compatiuntur, quomodo falsè ex-
ponitur.*

TITVLVS XXIX.

Primò, sectæ in derogationē bonorum operum, docent, vbi est gratia & misericordia, ibi non est meritū: alioquin gratia iam non est gratia, Rom. 11. sed gratis iustificamur. Roman. 3. Gratis iustificati estis, gratis etiam saluamur. Act. 15. Per gratiam Dñi nostri Iesu Christi credimus saluari. Ergo nullum est meritum necessarium ad salutem & iustificationem, Rom. 6. Gratia & donum est vita æterna. Maxima ergo afficiunt contumelia papistę Christum, quod suis operibus bonis volunt effectiuè mereri iustitiam & salutem. Nam si ex operibus iustitia, Christus gratis venit, & mortuus est, ad Gal. 2. Sola ergo fides, quę nititur sola gratia Dei, & nuda misericordia, saluat.

Secundò, notandum primò, quod remissio peccatorum, & iustificatio, debet habere causam & fundamentū, & iustitiam aliquā, propter quā fit iustificatio & remissio, sed quandò nulla reperitur in homine, i. nullum bonū opus, sed solū peccatū: nulla iustitia, sed solū iniustitia. Prou. 20. dicit Salomon: *Quis potest dicere, mundum est cor meū? Hier. 17. Præuum est cor hominis. Et Dauid Psalm. 50. Tibi soli peccauit, & nihil boni facio. Et 1. Ioan. 1. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, &c. Ideò Deus accipit p̄ causā & pro fundamento iustitię nostrę, solā nudā suam*